

(X2002463)

Xa  
4323

REVERENDISSIMO, SERENISSIMO-  
QVE PRINCIPI,  
D N.

**AUGUSTO,**

PRIMATI GERMANIÆ,  
ET DUCI SAXONIÆ,  
&c.

PATRI PATRIÆ INDULGENTISSIMO,  
ET LITERARUM STATORI  
MAXIMO,  
D E

CLIMACTERICO  
MAGNO

FELICITER SUPERATO  
HUMILIME  
GRATULATUR



JOACHIMUS LEISTENIUS,  
GYMNASII AUGUSTI RECTOR  
ET P. P.

LEUCOPETRÆ,  
LITERIS JOHANNIS BRÜHLII, AUG. TYPOGR.



2202 12 14



Fluxit propemodum tertius & sexagesimus annus ætatis SERENISSIMI AUGUSTI nostri, Principis, ob egregias vereq; regias animi dotes, omnium seculorum memoria dignissimi: pro cuius felici fluxu & decursu, sub auspiciis illius, vota precesq; rerum auctori religiosissime nuncupavimus. Accendebat augebatq; devotionem nostram vicissitudinum varietas, cui plerumq; iste gradarius annus, e nonario numero septies multiplicato resultans, obnoxius esse solet. Quamquam enim placita illorum, qui fatalem quandam valetudinis, vitæ & fortunæ inclinationem huic climacteri tribuunt, usq; adeo non probem, ut in aliam potius sententiam discedam: puto tamen, metum, qui inde mortales incessere solet, non prorsus vanum aut falsum esse, sed naturæ gnarum. Testantur quippe experientia, LXIII, aliosque climactericos annos atro sæpius, quam albo calculo senibus notatos fuisse. Multa exempla hanc in rem adducere possem, nisi probandi onere dudum me levasset Cl. Philosophus, *M. Fr. Wendelinus* sect. 1. *Contempl. Physic. c. 26.* & *Abrahamus Hoffmannus*, Historicus apud Lusatos haut incelebris: qui in tractatu Germanico, quem de Natura & Nativitate hominis inscripsit, tradit, e septingentis concionibus sacris, in clarissimorum Virorum exequiis habitis, & a se collectis, compertum se habere quingentos horum vel magno, vel alio climacterico anno æs alienum, quod nascendo conflasset, moriendo exsolvisse. Ex quo autem fonte hæ turbidæ aquæ promanent, a multis quæsitum, sed a paucis, quod meminerim, recte explicatum est. *Lemnius lib. 2. de occult. nat. mirac. c. 32.* suspicatur, humorum abundantiam

LITTERIS JOHANNIS BERNHARDI, AUCTORIS

dantiam, certis annorum periodis collectam, motu suo atq; agitatione morbos parere & naturæ infringere vires. At cum morbi, quos anni gradarii secum vehunt, non semper ex humoris, sed quandoq; e frigoris, vel caloris etiam excessu nascantur, ut Medici norunt, non lucem, sed tenebras huic negotio Lemnius attulisse videtur. *Marsilius Ficinus lib. 2. de Studios. vita produc. c. 20.* existimat, septimum quemq; annum cujuslibet nati Saturni gravari imperio, ob eamque causam periculis esse plenum. *Cum Astro-nomi, inquit, singulas diei horas singulis ordine planetis distribuerint, similiterq; septem hebdomadis dies, atq; in ipso foetu per menses digesserint officia planetarum, cur non etiam per annos eadem disponamus? ut quemadmodum infantem in utero latentem rexit primo mense Saturnus, ultimo Luna: sic statim natum, ordine jam inverso, primo ipsius anno ducat Luna, secundo (si vis) Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars, sexto Jupiter, septimo vero Saturnus, atque deinceps ordo per vitam similis repetatur. Itaque in septimo quolibet vitæ anno fit in corpore mutatio maxima & periculosissima, quia & Saturnus nobis communiter peregrinus est, & ab eo, planetarum summo, tunc ad Lunam, planetarum infimam, e vestigio gubernatio redit.* Sed quis Ficino concedat, stellis erraticis in certas horas, dies, menses & annos imperium datum esse? Christiani certe non minus planetas temporum dominos venerari, quam superstitiosis temporum observationibus indulgere formidant. Et si ideo septimus quisque annus tranquillitatem nostram interpellat, quia Saturnus ei præest, quid de illis judicandum, quibus benigni præficiuntur planetæ? An hi fereni semper & sine nube erunt. Nemo, opinor, id affirmabit, nisi quem antea vitæ memoria plane destituit. Ego, usu edoctus, ingenue fateor, illos ambiguarum æq;, ac secundarum rerum fecundos multis fuisse. Alii alio modo Saturnum huc trahunt, afferentes, ipsum tot fere annos, quot Luna dies, in uno Zodiaci signo morari, & singulis septenniis ad ejusmodi signa pervenire, quæ sint contraria ei, a

quo fuerit digressus. Ut igitur Luna, terræ proxima motuq; velocissima, septimo die ad quadratum suum, quarto autem & decimo ad oppositum radiū progrediundo dies Criticos, seu decretorios parit, quos Medici in morbis acutis diligentissime observare consueverunt: ita ajunt, Saturnū, motu tardissimū, singulis septenniis ad contraria signa appellere, & climactericos annos, dubiorum casuum feraces, gignere. Favet huic opinioni *Wendelinus c. l.* & magni nominis Theologus, *D. Fr. Balduinus lib. 3. de Cas. Consc. c. 6*: de quorum auctoritate uti nihil detraho: ita nemo vitio mihi vertet, si, quæ me causæ moveant, modeste ab iis dissentire, non dissimulem. Nam, ut tacito pede præteream maximam Saturni a tellure distantiam, (quæ vim ejus agendi in hæc inferiora non parum debilitare videtur,) *ἀνεβεία* Philosophica non permittit, ut, posthabita causa particulari, universalem venemur, & determinatum effectum tribuamus actioni indifferenti, non concurrente principio aliquo determinato. Deinde, inter omnes, qui sideralem scientiam docti sunt, constat, annum Saturni motum non per omnia paria facere cum motu Lunæ diurno. Is enim periodum suam absolvit spatio XXIX annorum, & CLV dierum: hæc vero motu medio Zodiacum pererrat XXVII diebus, septemq; horis. Si itaque anni climacterici, & quicquid momenti illis inesse creditur, a motu Saturni pendent, primus climacter cum octavo, secundus cum XV, tertius cum XXIII, & quartus cum XXX anno cujusq; hominis consurget, atque sic non septeni amplius & noveni, sed medii inter hos anni decretorii erunt: quod quia cum majorum traditis, quæ ætas nostra maximam partem recepit, minime convenit, frustra operam sumunt, qui in Saturni motu & influxu hujusmodi annorum natales quæerunt.

Ex mesī quis causam hujus rei audire gestiāt, geminam dabo: unam particularem, alteram universalem. Illam crasin dico, seu temperamentum  
cujus-

cujuscunq; hominis, quod, quia e pugnantis inter  
se qualitatibus compositum est, superveniente ali-  
qua causa externa, facile vitium contrahere potest,  
& hominis concutere substantiam. Hanc statuo  
Lunæ motum & influxum in sublunaria. Quoniam  
enim hoc sidus terræ proximum &, ut Plinius loqui-  
tur, novissimum est, magnam habet vim atq; effica-  
ciam corpora nostra alterandi, ita ut pro diversitate  
aspectuum, ad quos applicatur, vires naturæ modo  
firmet augeatq;, modo infringat. Nemo in dubium  
id vocabit, qui dierum Criticorum vicissitudines  
cum Lunæ conversionibus diligenter contulerit.  
Constans enim usuq; probata cum Medicorum,  
tum Philosophorum sententia est, Lunam, in prima  
morbi accessione feliciter positam, (veluti cum Jove  
aut Venere conjunctam) septimo, nono & bis septi-  
mo post primum decubitum die minus periculosas  
ciere mutationes, quod tunc tetragono, trigono &  
oppositioni Jovis aut Veneris, tanquam radiis mi-  
nus noxiis, occurrat: læsam vero a Saturno, vel  
Marte iisdem diebus magnas alterationes & miras  
tragædias movere, propter hostiles Saturni aut  
Martis aspectus, quibus tunc impugnatur, prout Ce-  
leberrimus Medicus & Mathematicus, *D. Eichstadius*  
*Sect. 3. Pæd. Astron. quam parti 2. Ephemerid. præmisit,*  
pluribus exponit. Quemadmodum vero Luna ad  
suos aliorumq; planetarum radios quadratos, tri-  
gonos & oppositos progrediundo dies Criticos fau-  
stos aut infaustos, pro diversa configuratione, facit:  
ita character Lunæ, naturæ humanæ impressus,  
proportionaliter cum corpore Lunæ progreditur,  
& septimo quolibet anno climacterem hebdomadi-  
cum, nono autem enneadicum producit. Quan-  
tum enim spatium Luna quolibet die in Zodiaco e-  
metitur, tantum in natura sublunari character Lu-  
naris conficere credendus est, id quod hoc experi-  
mento ( a *Dn. Wilhelmo Aviano* annotato ) ostendo.  
Qui hortos colunt, & novellis plantarum stirpibus  
eos instruunt, affirmant, furculum, triduo ante syn-  
odum.

odum vel oppositionem Lunæ cum Sole ramo vel  
trunco insitum, post triennium; quatruido autem,  
vel quintuido ante Novilunium, vel Plenilunium,  
stipiti immissum post quatuor demum, vel quinque  
annos floribus vestiri. Unde hoc? Dubio procul e  
Lunæ progressu & motu. Sicuti enim Luna triduo  
post factam insitionem novum aut plenum adipisci-  
tur lumen: ita character ejus, naturæ arboris im-  
pressus, motu suo analogico post triennium ad eun-  
dem terminum promovetur: qui, cum criticus sit,  
naturam arboris excitat, movet & impellit ad fer-  
tilitatis suæ specimen edendum. Sicuti vero in  
profectione arboris annus integer respondet motui  
Lunæ diurno: ita natura hominis, influenza istius  
sideris imprægnata, eandem servat proportionem,  
quando ætas illius a momento ad momentum pro-  
trahitur. Hinc si in momento alicujus nativitatis  
Luna fortis sit, & extra violentos Saturni Martisque  
radios posita, spes emergit, annos climactericos  
nullum naturæ vulnus illaturos, præsertim, si tem-  
peramentum quoque recte se habeat: Sin debilis illa,  
& a Saturno, vel Marte læsa, & temperamentum  
quoque laboret, metuendum, ne venturi anni grada-  
rii vitam & valetudinem in discrimen adducant, ni-  
si primus rerum motor causis secundis se opponat,  
atque aliter dispenset eventus, quam se daturi alias  
erant.

Inscitiam proinde suam, aut malitiam produnt,  
Astrologi, qui, Chaldaicis rationibus imbuti, annos  
climactericos, & in his maxime illum, qui e septies-  
novem monadibus conflatur, pravis atque fallacibus  
judiciis suis gravare non erubescunt, quasi hi sem-  
per & ex se gignerent, quibus cum mortalium inco-  
lunitas conflictaretur. Scimus namque aliunde id  
esse, nec raro hujusmodi ætatis gradus voto nostro  
& expectationi respondisse. Eaque propter ita olim  
metuebamus, cum SERENISSIMUS oster climacteri-  
cum magnum auspicaretur, ut spes etiam nos su-  
stentaret, futurum, ut is, qui promisit, se ad canam  
usque

usq; senectam nos portaturum esse, Principem nostrum roboraret, protegeret, & non hujus tantum, sed aliorum etiam annorum felici decursu exhilararet. Spem metumq; afferebat astrorum positus, qui Nativitatem illius exceperat. Ut enim Lunæ defluxus a corpore Saturni nonnihil sollicitos nos reddebat: sic contra applicatio ejus ad diametrum Jovis, & quadratus Veneris in Lunam nos erigebant, lætamq; rerum faciem pollicebantur. Augebant animum fata, quæ proxime superioribus climactericis incubuisse, & longe plus mellis, quam alöes Serenitati ipsius propinasse memineras. Inde enim augurabamur, indulgentissimum Numen, æq; hunc, atq; illos priores criticos annos, prosperis successibus aucturum, & has tantas delicias nominis Saxonici præsidio suo circumfusurum. Cecidit, res ex spe & voto nostro. Vivit enim & floret AUGUSTUS noster, quem vivere & valere faustis omnibus optavimus. Vivit & floret AUGUSTA CONJUX, quæ gratis suis incomparabilibus venerandam ejus canitiem pie hætenus solata est. Vivunt & florent, celsissimi nominis Filii Filiaeq;, spes atq; oculi multarum provinciarum. Vivunt denique & florent, Illustrissimi Nepotes & Neptes: quorum numerus hoc anno non integer tantum stetit, sed novis etiam germinibus auctus. Præterea, vivente & florente AUGUSTO nostro, floret in Ecclesia vera religio, & certos nos facit de propensissima DEI voluntate in hos Principatus. Floret in Republica pax & justitia, ut, tranquille vivere, & injuria aliqua affecti, firmum præsidium a legibus mutuari queamus. Florent in Scholis, & cum primis in hoc Augusteo literæ elegantiores, &, ut seculum nostrum magis magisque a barbarie vindicetur, multorum industriam, certatim fatigant. Florent quoq; commercia, & privatorum res quotidie his in terris altius surgunt, cum alibi, proh dolor! ob horrenda belli fulmina, desiderere eas aut plane corruere cernas. De qua felicitate uti patriæ PATRI PATRIÆ sumopere gratula-

JK Xa 4223

gratulamur; ita DEO optimo maximo gratias agimus maximas, quod Principem nostrum atq; inclytam ejus Domum in his decumanis bellicis motibus sospitem florentemqve servare, & ut nos salvi essemus, salutem ejus in tuto solidoq; locare dignatus sit. Precamur porro, veneramur supplices & obtestamur infinitam illius Majestatem, velit tueri Ecclesiam suam, & quam plantavit vineam rore gratiae rigare, & Sole justitiae irradiare: velit tueri Germaniam, patriam dulcissimam, & victorias illius perpetuare, tandemq; optatam pacem ei reddere: velit tueri Germaniae Primatem, & candidissimam ejus canitiem in eum felicitatis statum asserere, quem niveus illius candor dudum meritus: velit tueri Celsissimam illius Conjugem & universam Progeniem, ut floreat semper, & virtutum suarum splendore paternum & avitum fastigium non aequet tantum, sed longe etiam transcendant.

Quod superest, omnes literarum Patronos & Fautores, qui fixam sedem in hac civitate nacti, & qui indefessum Principis studium in juvanda Republica gratis animis mecum agnoscunt, enixe rogo, ut ipsis Idibus Augusti, quibus *Natalis ejus quartus & sexagesimus illucescet*, post finita sacra matutina in auditorio Augustei majore convenire, auditisque *SENECTUTIS LAUDIBUS*, quas pro rostris exponere decrevi, pari mecum devotione supplices palmas pro incolumitate Serenissimi nostri, & inclytae illius Domus perpetuitate ad sidera tendere ne recusent. P.P. Anno ab Orbe redempto M DC LXXVII. 3. Idibus Augusti.



AL



h. 15, 7

cat. I, 780.

(X2002463)

Xa  
4323

REVERENDISSIMO, SERENISSIMO-  
QVE PRINCIPI,  
D N.



U...T O,

PRIMA T

ANIAE,

ET D

Æ,

PATRI PATR

NTISSIMO,

ET LIT

ORI

CLIM

ICO

FELI

TO



JOACHIM

TENIUS,

GYMNASI

RECTOR

ET P. P.

LEUCOPETRÆ,

LITERIS JOHANNIS BRÜHLII, AUG. TYPOGR.



2207 12 17

